

enim illa a militibus prædæ avidis relicta puto, atque contempta.

Nil minus circa fortitionem erratum video: quod in solam tunicam inconfutibilem fors missa patetur; de qua sola apud Joannem scriptum est, non scindamus eam, sed fortianus de illa cuius sit. Etsi enim cui illa obtingeret integra, forte fir definitum; quod scindi sine integra jactura non posset: adhuc tamen & super factas aliarum vestium partes, ducta fors est, ut quæ cuique pars cederet, sublatis rixis, siniretur. Quod ceteri Evangelistæ discrete significaverunt: Lucas quidem Cap. 23. *Dividentes vestimenta ejus, miserunt fortis*; & Marcus 13. *Diviserunt vestimenta ejus, mittentes fortem super eis, quis quid tolleret*. Quæ non in solam tunicam inconfutibilem, ductam fortem indicant, cui nimirum illorum obtingeret integra; sed & in alia quoque vestimenta divisa, ut quam quisque illorum partem acciperet, innotesceret.

Si quis vero scire avert, quorsum extimam illam Christi vestem sciderint Milites, cujus discessisse particule nullius ferme usui esse poterant: ac non potius integram illam ipsorum uni adjudicarent: Duo sunt quæ respondere juvat. 1. Hanc unam Christi vestem ceteras forte valore superasse: atque ita per æquas partes prædam militibus non cessuram, si integra uni fuisset adjudicata. 2. Voluisse Milites singulos partem illius aliquam sibi cedere; quod forte occultam quandam ad patranda prodigia virtutem illi inesse arbitrantur: cum multis illius contactu, integræ sanitati restitutos, ex publica fama inaudivissent. Quæ Procopii, & Lirani prudens consideratio est. Etsi enim Christum uti Deum non agnoscerent Milites, imo forte iniquum virum haberent, ac juste damnatum: Satis tamen illis erat patratorum prodigiorum fama, ut occultam qualemcumque virtutem, vestibus illis inesse suspicarentur.

EXERCITATIO LVIII.

De prodigiis, Christo de cruce pendente, patris.

I. Quæ, Christo de cruce pendente, patrata sunt naturæ portentosa, atque prodigia, cum ad patientis gloriam, tum ad Judaici sceleris execrationem, ea duplicis generis esse dicuntur. Nonnulla a Sacris Evangeliorum Scripturis memorantur: ut tenebræ in universam terram effusæ, Sol obscuratus, velum Templi scissum, terra commota, disruptæ petræ, aperta denique monumenta. Aliqua a privatis dumtaxat Scripturis recensentur: ut collapsum derepente Templi superliminare: audita ex intimis Templi adytis horrida vox, discessum inde, ac recessum inelamans: Magni Panos obitus a malis Geniis denunciatus. De primis, quod Divina auctoritate consent, quin re ipsa patrata sint, nemo ambigit: quo tamen modo, quæ ratione sint gesta, acriter disputatur. De ceteris humana dumtaxat auctoritate fultis, & hoc ipsum controversatur, peracta ne fuerint, an temere facta. Quod utrumque nobis est inquirendum. Itaque ad rem.

II. Tenebras super universam terram factas, ab hora sexta, qua in crucem Christum est actus, usque ad horam nonam; qua spiritum tradidit, hoc est, a Meridie ad horam inde tertiam, referunt Matthæus, & Marcus; quibus factam Solis obscuracionem addit Lucas Cap. 23. v. 44. *Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque ad horam nonam: & obscuratus est Sol*. Quocirca universæ terræ nomine

totum terrarum Orbem, uti & nomine obscurati Solis veram eclipsim, prodigiosam tamen, intellexere cum Augustino Epist. 80. ad Hefychium, quotquot Magno Dionysio Areopagita tributa Opuscula, libros videlicet, & Epistolas, tamquam genuinos, germanosque illius fœtus incircumspecte, reque nondum expensa, receperunt. Quandoquidem observatas a se, & ab Apollonane in Ægypto tenebras illas, notatamque prodigiosam eclipsim illam memorat larvatus Scriptor Epistola 7. ad Polycarpum data, in hæc verba: *Eranus una ambo, & Sabanus ad Heliopolim* (quæ inclita Ægypti civitas est) *ac cerebanus, nec opinato, cum Luna se Soli objicerebat: neque enim conjunctionis tempus erat: rursusque cum eadem ab hora sexta ad vesperam se medie Solis linee præter naturæ ordinem opponebat*. Verum quo ex tempore a viris critica scientiæ peritis deprehensum est, spurias, ac pseudepigraphas esse Epistolas illas, ac libros Magni Areopagite nomine venditatos: quæque illic de Dionysii, & Apollonanis observationibus recitantur, esse penitus commentitia; nemo est, qui non ultro consentiat, nullam patiente Christo eclipsim accidisse, quæ tenebras illas in universum Orbem induxerit. Sed vel ex prodigiosa radiorum subtractione, vel ex corporis ejusmodi opaci oppositu, eam Solis obscuracionem contigisse: ut nihil, aut certe modicum lucis a parte Judææ obversa diffunderetur. Quæ olim Origenis Tract. 35. in Matth. Chrysostr. Homil. 89. Hieronymi, Theophylacti, Euthymii, aliorumque sententia fuit, longe profecto verisimilior, quam quæ Recentium quorundam opinio fuit, Lunam plenam ex adverso Solis, Deo jubente, in locum Soli subiectum procurrisse; (quod ad veram eclipsim necesse erat,) ac deinde post horas ternas in locum pristinum se recepisse. Deus enim vel miracula patris, non solet præstare pluribus, quod paucioribus potest: quid autem ad Solis obscuracionem necesse erat, dissoluta celestium orbium machina, Lunam plenam in locum alterum subfiliare; quo se Soli, terræque interponeret? Quod utique si contigisset, ut res est in natura omnium maxime prodigiosa, & observatu facilissima, milenos habuisset illius observatores Astronomos, qui posterorum memoriæ prodidissent.

III. Ferunt equidem, Tertullianus in Apologetico Cap. 21. Eusebius, & Hieronymus in Chronico; Phlegontem Adriani Imperatoris Libertum, qui Historiam per Olympiades scripsit, in libros sexdecim distributam, hujusce Solis obscuracionis, quæ Christo moriente contigit, meminisse; eandemque pro vera Solis eclipsi habuisse. Phlegontis verba latine sic reddidit Hieronymus in Chronico Eusebiano: *Quarto autem anno ducentesime secundæ Olympiadis, magna, & excellentis inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta est. Dies hora sexta ita in tenebras noctem versus est, ut stella in Cælo visa sint; terræque motus in Bithinia Nicææ urbis multas ades subvertit*. Demus id vero, Phlegontem eclipsim dixisse, quam nos natam aliunde Solis obscuracionem existimamus: Phlegontem tamen Historicum novimus, non Astronomum; qui, quam forte in Actis a Pilato transmissis legerat, prodigiosam Solis obscuracionem, Jesu Nazareno patiente Jerosolymis factam, eclipsim existimavit; utque existimavit, simpliciter scripsit. Neque id a nobis temere dictum. Patet enim, Phlegontem eclipsim illam suam, tametsi magnam, & excellentem, naturalem tamen existimasse: porro si fuisset Astronomus, imo vel leviter Syderalis scientiæ principis tinctus, id profecto novisset, non posse juxta naturæ leges in Plenilunio Solarem

rem eclipsim accidere. Nec dubitandum, quin ad suæ hujus eclipsis excellentiam commendandam, illud potius dicturus fuisset, contigisse illam in Plenilunio, quam stellas in Cælo fuisse visas. Quid, quod Phlegontem hac in parte deceptum fateri videretur ipse Tertullianus: tanquam Solis deliquium, seu eclipsim temere credidisset, quæ aliunde nata Solis obscuratio fuit. Eodem momento, inquit, quo Christus affixus est Crucis, dies, medium orbem signante Sole, subducta est. Deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo prædictum nesciverunt. Et tamen cum Mundi casum relatam in Archivis vestris habetis. Videm, quo pacto deliquium reputatum, non quod vere fuerit, dixerit Tertullianus?

Addiderim, nec id quidem ceteris Patribus constare, quod Tertullianus, Eusebius, & Hieronymus habent: Phlegontem de Solis obscuracione in Evangelio memorata scripsisse laudato loco. Negat id aperte Origenes Tract. 35. in Matth., neminemque eo contra Gentiles argumento agere vult, quod neminem sapientem movere possit. Nec temere negat. Phlegon enim suum illud Solare deliquium Luna plena contigisse non ait, quod illi fuisset notandum maxime, si de Solis obscuracione in Evangelio notata loqueretur. Silet ad tres horas perdurasse, quod fuz hujus eclipsis admirabilitatem auxisset. Narrat terræmotus in Bithinia, maximeque Nicææ factos, siletque de terræ motibus factis in Palestina; quod illi præcipuum fuisset. Anno demum quarto Olympiadis ducentesime secundæ magnum illud, excellentisque naturæ phenomenon accidisse ponit: quæ dubia, incertaque Christi morientis est epocha. Num ergo ad portentum Christo moriente patratorum digium intenderit Phlegon, incertum est.

Verisimilius igitur est, Solis obscuracionem in Evangelio notatam, a Phlegonte Adriani Imperatoris Liberto observatam non fuisse loco laudato: eandemque ex Luna plenæ in locum Soli subiectum procurrisu non accidisse: sed, vel ex corporis ejusmodi opaci oppositu, vel ex radiorum Solarium subtractione contigisse. Observat, fateor, Illustrissimus Præsul Huertius in *Demonstratione Evangelica*, Sineses in rerum suarum monumentis, non ita pridem in Europa vulgaris, notatum habere: Ad id tempus, in quod annum ætatis Christi trigessimum tertium Christiani referunt, circa Mensis Aprilem Solare deliquium præter naturæ ordinem, & contra leges curricularum Astrorum præfixas contigisse: eaque rei novitate *Quantum* Sinarum Imperatorem vehementer fuisse commotum. Quod vir summus ad Solis obscuracionem Christo patiente factam inesse, ut veram eclipsim fuisse convincat. Verum quis nesciat, ea rerum Sinesium monumenta in Gallis ante annos aliquot publicata, pura, nudaque non esse, qualia in ipsis Sinesium tabulis continentur: sed alienis Editorum additamentis, & observationibus aucta, & illustrata? Nec enim quidpiam de anno Christi trigesimo tertio, in quem ea eclipsis incidit, in ipsis Sinesium tabulis contineri putandum est: sed Europæi Editoris observatio illa fuit; qui vulgaribus de Christo ætatis suæ anno trigesimo in Crucem acto, deque Sole hac ipsa hora eclipsim patiente imbutus opinionibus, observatam ad illa circiter tempora a Sinais defectionem, cum observatam in Evangelio Solis obscuracionem confundit; ipsosque Sinais rerum nostrarum ignaros traxit in præconceptæ sententiæ probationem. In quem igitur, aut Christi Domini, aut Æræ vulgaris annum incidit observata ab Sinais eclipsis, definire ex illorum tabulis impossibile est; multo minus, num in Martium Æquinoctium incidit, Sery Tom. III.

statui certo potest, cum ea de re ne ipsi quidem documentorum Editores verbum habeant. Atque ita nihil commune habet Phenomenon illud cum Solis obscuracione moriente Domino facta, quam non ex Luna in subiectum Soli locum procurru, sed ex Solarium radiorum subtractione, aut etiam ex opaci ejusmodi corporis oppositu contigisse, verisimillimum est.

IV. Utumque autem acciderit, obortas inde tenebras in Evangelio perinde memoratas, ultra Judæam non esse diffusas, quod putant aliqui, certa mihi, indubitataque fides est. Tum quod ita testetur Origenes Tract. 35. in Matth. *Arbitror ego, sicut cetera signa, quæ facta sunt in Passione ipsius, in Jerusalem tantummodo facta sunt: sic & tenebræ tantummodo super omnem terram Judæam sunt factæ usque ad horam nonam*. Tum quod propter solos Judæos, ad illorum videlicet sceleris execrationem inducæ sint. Tum quod, si toto terrarum Orbe offusæ, cognitaque fuissent, incredibile omnino sit, Gentilium Scriptorum neminem posterorum memoria fuisse proditurum. Tum demum, quod ne fieri quidem posset, ut per totum terrarum Orbem ab hora sexta ad nonam, seu a Meridie ad horam inde tertiam, prodigiosa tenebræ ex Solis obscuracione contingerent: cum in media Orbis parte nox summa tunc esset; ac sine Solis obscuracione, oppansæ nocturnæ tenebræ citra prodigium, citra miraculum.

Quare, quod ait Evangelium, tenebras in universam terram factas esse, obscurato Sole, accommodate ad locum, de quo agitur, oportet intelligi: ut quia res ipsa tota, de qua illic sermo fit, in Judæa agebatur, universa quoque terræ Judææ tenebris oppleta intelligatur. Uti plane dum Luca 2. v. 1. dictum est, *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis*; non totus, quæ late patet, terrarum Orbis intelligendus venit; sed ille tantum, cui imperitabat Augustus. Quidni etiam cum Origene reponamus: *tenebras in universam terram factas per hyperbolem in Evangelio dici, ut longe, & lateque juxta Jerosolymam offusæ significentur? Quemadmodum de Christi Domini gestis in Evangelio per hyperbolem dictum est: si scribantur singula Mundum ipsum capere non posse, qui scribendi sint, libros: Joannis 21. v. 25. ut magnus gestorum, scribendorumque librorum numerus denotetur*. Atque hæc de primo patrato prodigio, Christo adhuc in Cruce patiente: cætera, illo jam passo, atque extincto, contingere.

V. In his primo loco est Veli Templi scissio, de qua Matthæus Cap. 27. v. 50. *Jesus autem clamans voce magna emisit spiritum*. Et ecce velum Templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum: ut nonnisi extincto jam Christo, non antequam extingueretur, ac dum obscuratus est Sol, velum scissum intelligamus. Quapropter quod Lucas Cap. 23. v. 45. Veli scissionem cum Solis obscuracione conjungat, anticipacione factum est. Sed & hoc satis notum, ac pervulgatum est; illud maxime controversum, ac diligentissime disquisitione dignum, unicuique, an duplex Templi Velum esset? Si duplex, utrum illorum extincto Christo discessum sit? Unicum perique ponunt: in quibus est Gerardus Vossius lib. 2. Harmoniæ Evang. Cap. 11., eo præsertim momento nixus, quod si duplex re ipsa fuisset, non simpliciter *Velum Templi scissum* dixissent Evangeliorum Scriptores; sed utrum Templi velum foret, addidisset. Fuisse tamen duplex, constanter affirmo. Cum enim præcipue tres essent Templi partes: Atrium, in quo populus consistebat; Sanctum, in quo Sacerdotes sacra ob-

bant ministeria; Sanctum Sanctorum, in quod unus Summus Pontifex, ac semel tantum in anno ingrederetur: quemadmodum Sanctum Sanctorum a Sancto, sacro Velo (quod nemo ambigit) distinguebatur; ita quoque Sanctum ab Actio, Velo altero dividebatur: quod Iosephus ipse libro 6. de bello Judaico Cap. 6. *Velum Babylonicum dicit, hyacintho, & bisso, & cocco, & purpura variatum, mirabili opere factum*; & ab altero Sanctum Sanctorum velante, de quo subinde loquitur, omnino distinctum. Geminum illud Templi Velum agnovit Origenes Tract. 35. in Matth., Sacrasque Scripturas non negligerit intelligentibus perfectum esse ait: *Duo esse vela; unum quidem interius, quod velat Sancta Sanctorum; alterum autem exterius, sive Tabernaculi, sive Templi, que figure erant Tabernaculi, sive Templi, que figure erant Tabernaculi, sive Templi, quod preparavit ab initio Pater. Agnovit & Hieronymus Epist. ad Hedibiam 150. quaest. 8., ac primum quidem exterius, alterum interius velum appellat, quemadmodum & Origenes.*

Utrum autem illorum scissum fuerit, haud ita facile definirim. Dicam tamen, quotquot Patres geminum velum cum Flavio Iosepho distinguunt, extimum scissum docuisse, non intimum; nec sine mystica ratione. Sic Origenes loco laudato: *Duorum velorum Templi unum scissum est in duas partes a summo usque deorsum, quando voce magna clamans Iesus emisit Spiritum, hoc ostendens, sicut puto, mysterium: quoniam in Passione Domini Salvatoris velum, quod erat a foris, confissum est a summo usque deorsum; ut ab initio Mundi usque ad deorsum, id est, usque ad finem ejus, confisso velamine Mysteria publicentur; qua usque ad Christi adventum rationabiliter fuerant occultata. Et nisi ex parte cognoscimus, sed jam nunc manifestarentur omnia, adhuc in corpore constitutus dilectis Christi Discipulis utrumque velum fuerat confingendum: id est, quod a foris est, & interius. Nunc autem, quoniam ad scientiam rerum novarum producitur, ideo quod a foris quidem fuerat velum, interim confinditur a sursum usque deorsum; ut quando venerit, quod perfectum est, & revelata fuerint cetera, qua restabant, tunc asferatur etiam secundum velum: ut videamus etiam, que intra secundum velum sunt occultata, veram Arcam Testamenti: & sicut ipsa se habet natura, videamus Cberubin, & Propitiatorium verum, & repositionem manne in aureo vase, & omnia manifestata, atque majora illis, que per legem Moysi fuerant demonstrata: in quibus dixit Deus ad eum, facias omnia secundum formam eorum, que tibi ostensa sunt in monte. Sic & Divus Hieronymus laudata jam Epistola 150. ad Hedibiam quaest. 8. *Quaerendum, quod Velum Templi scissum sit, exterius, an interius? Mihi videtur in Passione Domini, illud velum esse confissum, quod in Tabernaculo, & in Templo foris positum fuerat, & appellabatur exterius. Quia nunc ex parte videmus, & ex parte cognoscimus: cum autem venerit, quod perfectum est, tunc & velum interius disrumpendum est: ut omnia, que nunc nobis abscondita sunt, domus Dei Sacramenta videamus.* Quotquot vero Patres Velum Sancto Sanctorum superpositum scissum existimarunt, ut Leo Magnus Serm. 10. de Passione, Cyrillus Alexandrinus in Caput 19. Joannis, Euthymius in Matth. in eam venerent sententiam, quod re minus bene perspecta, unicum illud in Templo Velum agnovissent. Nec me movet, quod velum Templi scissum simpliciter dixerint Evangeliorum Scriptores. Cum enim duplex fuisse omnino constet: illud eos intellexisse perfectum est, quod in omnium oculis erat, populi scilicet, & Sacerdotum, quod Sancta omnia obtegebat, quod mirae amplitudinis, &*

longitudinis erat: (unde & prodigii loco habent, quod a summo usque deorsum scissum fuerit) quae nota in Velum extimum, non intimum cadunt.

Repentinae hujus, ac prodigiosae scissionis rationes referunt Patres numero multas, arcani plenas, atque Mysterii. Priamam ex Origene, & Hieronymo jam vidimus: quorsum extimum Velum, non intimum scissum fuerit: cetera, nulla gemini Veli distinctione posita, Veli scissionem simpliciter factam probant: 1. Ut abrogata Synagoga, ac veluti dissoluta denotetur. 2. Ut Judaici populi dissipatio, atque divisio, ipsiusque etiam Templi futura proxime violatio praefigetur. 3. Ut Christi Domini Passio finita, e jusque anima a corpore separata intelligatur. 4. Ut eo portento significetur, veteris Legis arcani, figuras, sacramenta, quae ante Christi mortem obducta quasi velo tegebantur, ne vel ab eruditissimis intelligerentur, Christo jam mortuo, reducto veluti, discissoque velo, ab universis facile percipi, Christianosque revelata jam facie contemplari, quae non nisi in figuris, atque arcahis Hebraei antea praefigabant. Ita Origenes laudato saepe Tractatu 35. in Matthaeum, Augustinus lib. 12. contra Faustum Manicheum Cap. 11. & Enarratione in Psalmum 70. S. Ambrosius lib. 10. in Lucam, S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Joannem, S. Hieronymus in Cap. 27. Matthaei, S. Leo Magnus Sermone 10. de Passione Domini.

VI. Veli scissioni, terrae motum, petrarum fracturam, sepulcorum apertionem adjuncti Matthaeus v. 51. *Terra, inquit, mota est, & petrae scissae sunt: & monumenta aperta sunt.* Puto in Judaici sceleris execrationem, iramque Dei in perfidos demonstrandam. Quam late portenta ista patuerint, quaeret aliquis. Non ultra Judaeam patuisse, respondet Origenes Tract. 35. in Matthaeum; quod idem de factis tenebris definiat. *Arbitror ergo, sicut cetera signa, que facta sunt in Passione ipsius, in Jerusalem tantummodo facta sunt: sic & tenebrae tantummodo super omnem terram Judaeorum sunt facta usque ad horam nonam. Quod autem dico, in Jerusalem tantummodo haec facta sunt, quod velum Templi scissum est, quod terra contremuit; quod petrae disrumpae sunt. Nec enim extra Judaeam petrae disrumpae sunt, aut monumenta aperta sunt alia, nisi ea tantummodo, que in Jerusalem erant, aut forte in terra Judaeae. Nec alia terra tremuit tunc, nisi terra Jerusalem. Nec enim refertur alicubi, quod omne elementum terra tremuerit in tempore illo; ut sentirent, verbi gratia, & qui in Aethiopia erant, & in India, & in Scythia. Quod si factum fuisset, sine dubio inveniretur in Historiis aliquibus eorum, qui in Chronicis scriperunt nova aliqua facta.*

Evincunt hoc idem rationes non paucae, seu ab Origene insinuatæ, seu ab aliis Interpretibus excogitatae. De apertis imprimis monumentis decretorium argumentum est. Quae enim inde surgente Christo corpora prodierunt, Hierosolymis visa sunt, teste Matthaeo v. 53. *Exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Quae itaque, ut exirent, aperta sunt monumenta, ea aut Hierosolymis posita erant, aut certe non inde admodum distita. Nisi velimus, fuscitatis in longinquis regionibus viros sanctos, Hierosolymam novo portento per aera fuisse delatos: quod ad miraculi celebritatem Matthaeus minime tacuisset.

Ad haec: si portenta illa ubique gentium in omnium oculis patrata fuissent: si totus terrae Globus, ut effluitur aliqui, e centro suo con-

vulsus contremuisset; quis putet, prophandarum Gentium Scriptorem omnino neminem litteris fuisse commendaturum?

Accedit, quod eos terrae motus in Judaici sceleris poenam a Deo immisos, Patres non semel affirmant. Quid ergo exterrum etiam gentium in hujus sceleris partem minime venientium urbes, iis ipsis terrae motibus subverberae finguntur? Certe nihil tam a veri specie abhorret, quam quod libratorum de *Mirabilibus Scripturae locis* Scriptor Apocryphus narrat lib. 2. Cap. 3. eo terrae motu in Evangelis memorato, undecim in *Tbraacia urbes corruisse*: plures etiam in *Bibinia Nicaea urbis aedes* eodem illo terrae motu fuisse subverfas: (quod a Phlegonte perperam intellectu memoriae proditum aliqui putant:) dum interim in Judaea, ubi scelus patrabatur, non modo urbem nullam, sed & Aedem nullam legitur corruisse. Nihilque inest magis, quam ad terrae motum Christo Domino moriente factum trahere velle, quae Plinius lib. 2. Hist. Cap. 84. & Svetonius in Tiberio Cap. 48. narrat, de duodecim Asiae urbibus ingenti terrae motu dirutis, atque disiectis; cum haec non ad annum Tiberii 18. quo Christus passus communiter creditur; sed ad annum quartum, aut quintum a Tacito lib. 2. Annalium, a Serabone lib. 2. Historiae, ab Eusebio in Cronico referantur: quo tempore necdum Christus publicum ministerium auspicatus erat.

Certe apud priscos Ecclesiae Patres, maxime vero apud S. Cyrillum Hierosolymitanum Catechese 13. necon in antiquis Ecclesiae monumentis, in Actis scilicet S. Luciani Martyris, atque in descriptionibus Terrae Sanctae, Golgothae, seu Calvariae petras scissas legitimus; alibi tamen scissas non legitimus: donec postremae aetatis Scriptores, rupium, petrarumque scissiones in Italia factas, tota libertate commenti sunt, nulla Majorum fide, nullo Veterum testimonio suffragante: incertaque ruptarum, nescio quo casu, rupium vestigia ad portentum Christo moriente patratarum temere detorsent. Id ergo verius, id certius, quod jam a tertio Christiani nominis saeculo propagatum Origenes, narrata illa a Matthaeo prodigia non ultra Judaeam patuisse.

Quaerendum nunc videretur: quinam ex apertis miraculo monumentis exierint? Numve ad illa secundo redierint? Mirum enim, quantum ea de re Scripturarum Interpretes digladiantur! Verum quia nonnisi fuscitatis Christo ipsi quoque sunt fuscitati, dicente Matthaeo Cap. 27. v. 53. *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis*: idcirco aptior de his erit dicendi locus, ubi de Christi Domini Resurrectione, cujus illi socii, testefque fuerunt, ex infirmitate disputabimus. Videndum itaque modo de prodigiis aliis, de quibus Scriptura cum fileat, nil nisi ab humana auctoritate habemus.

VII. in apocrypho Nazareorum Evangelio scriptum refert D. Hieronymus Epistola ad Hedibiam 150. quaestione 8. Christo de cruce pendente, superliminare Templi mirae magnitudinis corruisse. At refert tantum Sanctissimus Doctor, non approbat, non fidem adjungit. Imo liquet ex Flavio Iosepho, id esse falsissimum: qui cum vastam illam Templi Hierosolymitani molem tam saepe describat, maxime vero lib. 8. Antiquitatum Judaicarum Cap. 2. & lib. 6. de Bello Judaico Cap. 6. ejusdemque adversos casus, insaufosque eventus a Judaeis quavis aetate toleratos diligenter observet; nusquam tamen eversum aliquo casu superliminare Templi vel leviter innuit.

In alteram fortasse fabulam consensisse videbitur Hieronymus: extincto scilicet Christo, auditam

ex intimis Templi adytis horrificam vocem: *Transseamus ex his sedibus.* Hoc enim laudata jam Epistola non refert modo, sed & Flavii Iosephi suffragio confirmat: *Velum Templi, inquit, scissum est in duas partes, ut compleretur illud; quod refert Iosephus, praesides Templi Virtutes dixisse: Transseamus ex his sedibus.* Non est tamen ita, ut prima fronte videri potest. Ac primo quidem, quod factum interest, nihil portentum illud, qualecumque sit, cum Christi morte commune habet: nec tempore Christi patientis, sed post annos triginta septem, obfessa a Romanis Hierosolyma, audita est illa terrificum vox, teste Iosepho lib. 7. de Bello Judaico Cap. 12. (alibi est lib. 6. Cap. 31.) quod est de prodigiis excidium Hierosolymae praecedentibus, ubi sic habet: *Festo autem die, quem Pentecostem vocant, nocte Sacerdotes intimum Templum more suo ad Divinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum, quemdamque strepitum senserunt: postea vero subitam vocem audire, que diceret: Migremus hinc.* Quod idem, phraisi ad gentilitatis superstitionem composita, Tacitus retulit Lib. 4. Annalium: *Expansae repente Delubri fores, & audita major humana vox, excedere Deos: simul ingens motus excidentium.* Dum itaque Hieronymus ait laudata ad Hedibiam Epistola, scisso Templi Velo, impletum illud esse, quod Flavii Iosephus retulit; id sibi vult unum: iam tunc, dum scissum est Velum, Spiritum Domini e Templo Hierosolymitano abscessisse, quod facientium significabat terrificum illa vox a Iosepho memorata lib. 7. de Bello Judaico Cap. 12. Neque enim ita sui erat immemor Hieronymus, ut quod in commentariis ad Caput 66. Isaiae scriperat, ignoraret: non Passiois Dominicae tempore, sed in Urbis excidio, sub Tito videlicet, ac Vespasiano, ac dum prope erat ut caperetur, terrificam illam Angeli vocem ex intimis Templi adytis infonuisse. Sic enim ille Isaiae vaticinium exponens: *Vox fremitus de Civitate, vox de Templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. Vox illa, haud dubium, quin Jerusalem significet, Romano exercitu circumdatam, & in tres partes intus seditione divisam, quando unum Templum obtinuit, & omnia prius Sancta possedit, fornicans contra hostes, intrinsecus contra civem dimicans. Eo tempore, & in Urbe, & in Templo, tam Sacerdotum, & Levitarum, quam vulgi ignobilis, multarumque, ac peiorum ululatus auditus est, quando reddidit Dominus retributionem inimicis suis, implens comminationem, qua dixerat: Relinquetur vobis domus vestra deserta; & illam prophetiam: Dereliqui Domum meam; quando Praesides Templi consona Angeli voce dixerunt: Transseamus ex his sedibus. De quibus non solum Iosephus Judaicus Scriptor Historiae, sed multis prius saeculis Psalmista testatur: dicens: Vidi iniquitatem, & contradictionem in Civitate, que circumdedit muros ejus tota die, & tota nocte, ita ut subverteretur Civitas, & impleteretur aliud vaticinium. Mich. 3. Sion quasi ager arabicus, & Jerusalem quasi casula in cucumerario relinquetur. Viden ut terrificam vocem, a Iosepho memoratam, ad Hierosolymorum excidium referat Hieronymus, non secus ac ille?*

Flavio Iosepho subscribit pariter Eusebius, a nonnullis licet perperam intellectus, lib. 8. Demonstrationis Evangelicae Cap. 2. ubi postquam Testamenti Veteris solutionem, sacri veli scissione signatam dixit, quae deinceps acciderint Templo, subjungit, & Flavii Iosephi auctoritate confirmat: *Sublato igitur ex illo deinceps, & non minus revera quam vi soluto sacrificio, & libatione, quae post-hac existimabantur illic perfici sacrificia, sine gratia rebus sacris aliena, in profano loco a profanis, &*

bus etiam Josephi testimonium accipere: Ipso autem die Pontifices, noctu Sacerdotes Templum ingressi, sicut eis mos erat, ad munera obeunda, primum quidem se motum quemdam strepitumque sensisse dixerunt: deinde vero subitam vocem crebra repetentem, Migremus hinc. Hec autem ille scribit facta esse post Salvatoris nostri mortem: Nempe dum est obfessa Jerofolyma.

Assentitur quoque S. Joannes Chryostomus Homil. 64. in Joannem, ubi Christi morte narrata, ita profequitur, Josephus qui paulo post fuit, inquit quosdam Angelos adhibuit expectantes visos migrare, ut Judaeos relinquerent. Quosque enim vinea perstruit, omnia facta sunt: ex quo autem Herodem interemerunt, mox perierunt.

Suffragantur plura ad docta Mulieres Paula & Eustochium Epist. 17. ad Marcellam, inter Hieronymianas: Postquam Velum Templi scissum est, & circumdata ab exercitu Jerusalem, & dominico cruore violata, tunc ab ea Angelorum praesidia, & Christi gratiam recessisse. Denique etiam Josephum, qui vernaculus Scriptor est Judaeorum, asserere, illo tempore quo crucifixus est Dominus, ex adytis Templi virtutum Coelestium erupisse voces dicentium, Transseamus ex his sedibus. Quae quidem coelestium virtutum voces, non modo a Josepho, sed & ab ipsis eruditissimis Mulieribus, ad Hierofolymorum excidium referuntur. Cum ea Angelorum praesidia a Templo recessisse dicant, non solum postquam scissum est Templi velum, verum etiam postquam ab exercitu Romanorum circumdata est Jerofolyma. Quae cum ita sint omnia, haud satis intelligi, quo jure Baronius in Annalibus ad annum 34. Josephum tot adtipulatorum suffragiis munitum, oecitantiæ arguat, aut doli mali: quod audita vocis hujus prodigium, non ad Christi mortis tempora, sed ad Jerofolymitanum excidium retulerit: imo quo jure Josepho Eusebium opponat, qui contra consentit ac suffragatur disertissime.

VIII. Superest magni Panos obitus a malis Geniis denunciatus, quem ingentis prodigii loco viri etiam doctissimi ponunt: quo Deus homo factus mortem suam testatam malignis spiritibus, ac ipsi etiam Tiberio Caesari voluit: quamquam ille falsis allati sibi nuncii Interpretibus adhibitis, rem totam praeposterè intellexerit. Ad id scilicet, trahunt, misereque detorqueunt, quod apud Plutarchum legere est, Opuculo de Oraculorum defectu, a Cleombrotro interlocutore recitatum, cujus vel summa facies fabulam refert omnium ineptissimam, quam miror, a Viris summis non fuisse deprehensam. Sic enim advocatus in scenam Cleombrotus sermonem instituit: De morte Geniarum narrationem audire, viri nequaquam fatui, aut vani. Emiliani Rhetoris, quem & vestrum nonnulli praecceptorum, atque magistrum audierunt, Pater fuit Epitherses civis meus, & Grammaticae Doctor. Is agebat, se aliquando in Italianam navigare contendisse, ac conscendisse Navim, qua mercibus, & multis vestroribus esset onusta. Sub vespere vero, cum juxta Echinadas essent, ventum postuisse, navimque certo cursu prope Paxas delatam. Vigilasse tunc vestrorum plerisque, multos etiam a cena potasse. Tum subito ab Insula Paxas auditam fuisse vocem, qua Thamus quemdam nominatim diceret, non sine admiratione hominum. Erat autem Thamus iste Aegyptii gubernator paucis una reventium de nomine notus. Hunc bis vocatum siluisse: tertio vocanti se dedisse, eumque contenta voce dixisse: ubi ad Palodes veneris, annuncia, Magnum Pana esse mortuum. Perterritus, agebat Epitherses, hoc audito universis, ac inter se disputasse, praestarene execui hoc mandatum, an vero omittere, neque quidquam curio-

se agere? Thamus autem statuisse, si ventus spiraret, tacitum se praerovecturum: si Malicia ad eum locum pervectis existeret: expositurum quod audivisset. Postquam ad Palodes perventum fuit, cum neque ventus esset, neque fluctibus mare agitaretur, Thamus e puppi versus terram prospexisse: ac quod inaudivisset dixisse: Mortuus est Magnus Pan. Vixit autem conticuisse illum, & gemitum magnum exauditum fuisse, non unius, sed multorum, admiratione mixtum. Quod autem fieri solet, cum evenit aliquid multis testibus praesentibus, statim rei samam Romae fuisse auditam, Thamusque a Tiberio Caesare fuisse accessitum; ac Caesarem ita pro certo credidisse, ut de Pane illo diligenter inquireret. Doctos vero, quos ille multos secum habebat, coniecisse, eum esse, qui Mercurio, & Penelope fuisse natus. Sic sane apud Plutarchum Cleombrotus Interlocutor: quem Eusebius Caesariensis extripit lib. 5. Praeparationis Evangelicae Cap. 9.

Quid hic tamen est, quod Christi mortem a Daemonibus publicatam verisimili aliqua ratione contingat? Si enim temporis notam, quo res ipsa peracta dicitur, duntaxat exeperis, Imperium, scilicet Tiberii Caesaris, quo Christus quoque morti traditus est; caetera, ne admotis quidem centum jugis boum, ad mortem Christi Domini trahi possunt. Cleombrotus quippe, nomine Magni Panos, cujus interitum refert, Genium nescio quem intellexit: cum ad id fabulam narret, ut Genios interdum probet morti occumbere. Docti vero a Tiberio Caesare in consultationem adhibiti, Panus Mercurio, & Penelope natum intellexerit, ab Aegyptiis sub hirci specie cultum, divinitusque honoribus celebratum, de quo tam multa extant apud Herodotum, & Lucianum. Sed & factum ipsum per se spectaculum, (ne ab Ethnicis perperam acceptum reponant aliqui) de Christo repugnat intelligi: seu Magnus Pan Christus ipse fingatur esse, quod Baronius, caeterique existimant: seu Daemon ipse putetur esse, ab Aegyptiis eo nomine sub hirci specie coli solitus; cujus interitus, regnoque ipsius everfio, per Christi mortem illata est: quod Eusebio, aliique visum fuit. Quid enim absurdius, quam Demones Paxas insulam occupantes, Christi mortem caeteris Palodes obrinentibus nunciare a Deo iustos, atque compulsos, (quod Baronius autumat) eundem nomine Magni Panos indiguisse, ac delinasse; quod infamis, ac spurcissimi Aegyptiorum idoli proprium erat? Quid ineptius, quam Christum Demones mortis suae nuncios voluisse, constituisse; quos virtutum suarum praecones noluit, rejecitque? Lucae 4. v. 41. Increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum. Quid a recta ratione alienum magis, quam alios alios monitores a Deo Demones dari, qui illos de Christi morte commoneant? Quid demum a Daemonum natura, & conditione abhorret magis, quam ut, si quid forte secum invicem communicare velint, prodere, aperire, nunciis utantur, ac tabellariis? Idcirco praefici Christianae Religionis defensores, Tertullianus, Justinus martyr, Joannes Chryostomus, aliique nonnulli, qui ex nunciis de Christo nostro sub Tiberio Caesare Romam allatis, rebusque inibi gestis, tam gravia ad causae defensionem momenta petiere, totam illam Cleombroti apud Plutarchum narrationem futiliter habuerunt; aut certe nihil cum Christi Domini morte habere commune existimant; quippe qui nullum inde momentum ad causae praesidium delibarent. Eo vero facilius in eum Plutarchi Centonem induci fabellae potuerunt, quod non a se ipso loquatur illic Plutarchus, sed Cleombrotus Interlocutor; qui & rem narrat ab altero, Emilio nimirum, acceptam, quam & ille ab Epithers-

therse parente suo didicisset. In ea autem alterius ad alterum narrationum multitudine, nenia obrepere facillimum est.

EXERCITATIO LIX.

De Christi sepultura, ejusque descensu ad Inferos.

I. Sepulturae Dominicae apparatus, de quo mihi est in praesenti differendum, brevi verbo complecti visus est dilectus Apostolus Cap. 19. Evangelii sui; Christum sepulchrum inveniens, sicut mos est Judaeis sepelire. Quod ideo fortassis ab eo diligenter est observatum, ne, sicut more Romano supplicio crucis affectus erat, ita more Romano sepulchro fuisse crederetur.

Ex more in primis Judaico fuit, quod Christus circa horam nonam, & inclinante jam die Parascae extinguis in cruce, antequam dies ipsa elaberetur, de cruce depositus fuerit, ac tumulo datus. Id enim lege sancitum erat, Deuteronomii Cap. 21. Quando peccaverit homo, quod morte plendum est, & adjuvatus morti, suspensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed eadem die sepelietur. Postulabat & id religio diei Sabbathi proxime futuri; ne videlicet deturberetur, & funeretur horrendo illo corporum in crucibus suspensorum spectaculo. Quam rationem factae tam cito depositionis insinuat Evangelium: Ut non remaneret in cruce corpora Sabbatho: erat enim magis valde dies ille Sabbathi: quod nempe inter dies Paschales occurreret anno illo.

Ex more itidem Judaico fuit, quod sacrum Christi Corpus, & sindone fuerit involutum, & linteis, fascisque a pedibus ad collum usque colligatum; sudario capiti superposito, faciemque illius obvelante. Cuius rei etiam habemus exemplum in Lazaro; qui ad Christi Domini vocem e tumulo prodiit, ligatus pedes, & manus inflexis, & facies illius sudario erat ligata: Joannis Cap. 11. Cum contra, Romani defunctorum corpora igne absumerent, cineresque uras coadebant.

Ex more etiam Judaico fuit, quod corpus aromatibus inunctum fuerit, myrrha scilicet, & aloe: quae, cum sint succi amarissimi, vim habent corporum a putredine servandorum. Quamquam porro mos ille inungendorum corporum defunctorum Aegyptiis, Syris, aliisque nonnullis nationibus communis esset; a solis tamen Judaeis, in spem futurae resurrectionis, quam si soli noverant, ex religione tenebatur. Fuit autem mixtura illa myrrhae, & aloes, qua Dominicum Corpus delibatum est, librarum circiter centum, ut loquitur Evangelium: quod argumento est, non modo fuisse illud iis unguentis, & balsamis inunctum, sed quasi iis immersum, atque sepulchrum.

Fuerunt autem hujus funeris curatores, ac polinctorum, non ex infima plebe viri, sed illustres, ac nobiles: Joseph scilicet Arimathaeus, dives, & nobilis Decurio, qui Corpus Jesu a Pilato petierat; & Nicodemus princeps Judaeorum, qui magnam illam aromatum copiam aere suo profudit. Est enim nec Christum tertia die surrecturum scirent, nec uti Deum agnoscerent, hunc tamen uti Prophetam habebant, virumque plane mirabilem, eoque honore dignissimum. Josepho, & Nicodemo Christi Corporis curatoribus, Delparam Virginem adjuncti Simeon Metaphraltes, quam sacrum caput sudario primum detexisse ait, ac tum illud Josephum tradidisse, ut illo inter sepulchralia linteae uteretur. Sed quis nesciat, quam multa Scriptor ille Veteribus ignorata, vel e re-

centiorum lacunis hauserit, vel ipse confinxerit? Donec ergo graviore auctoritate id constet, pro certo, atque indubitato haberi non potest.

Eandem virginem matrem, filii extincti corpus e cruce depositum contuentem, alterum animi deliquium passam, penecque collapsum exanimem, plerique de vulgo putant, adumbrantque plerique Pictores. Infamia certe, audaciae multo majori. Si enim, ut vidimus paulo supra, nihil hujusmodi passa est virgo magnanima, dum Christum, aut propterantem ad crucem, aut de cruce pendentem intuita est; quo tempore summos ille dolores patiebatur; quid tum demum passam fingamus, dum omni dolore solutus erat? Sed de his supra.

Ad Judaicos perinde mores referendum putaverim, quod Christi Corpus ita in sepulchro conditum sit, ut caput illius ad Occidentem, & pedes ad Orientem collocarentur: uti Haimo Halberstatis, Homilia in die sancto Pascha habita, curiosus observavit. Quemadmodum enim in Jerofolymitanum Templum obverti orare Judaei soliti erant; ita quotquot in Judaea, maxime vero juxta Jerofolymam tumulis condebantur, in hoc idem Templum obverti, venerationis ergo, componebantur. Cum itaque Christus in monte Calvariae ad Occidentem extra Jerofolymam sicut sepultus sit; Templum autem ad Orientalem Jerofolymae partem situm esset; necesse profecto fuit, Christi caput ad Occidentem, pedes vero ad Orientem componi, ut Templum sepulchri spectaret, & eoque sacrum vultum obverteret. Neque huic Judaeorum consuetudini contrarium putes, quod Adamianus lib. 2. de situ, & locis terrae sanctae, ac post illum Venerabilis Beda lib. 5. Historiae Gentis Anglorum memoriae prodiderunt: Patriarchas scilicet veteris Testamenti plantis ad meridiem vestis, capitibus vero ad Septentrionalem plagam conversis, fuisse sepultos. Ii quippe diu ante constructum Templum tumulo dati fuerant; nec an ita humati re ipsa fuerint, certo liquet ex tam levi recentium Scriptorum auctoritate. Unde enim post annos supra bis mille rescire Adamianus, & Beda potuerit, quam in partem plantas, & caput olim obverterent ocula suis tumulis cadavera Patriarcharum: etiam extranem adhuc ipsorum aetate tumulorum illorum structuram observasset? Cum enim ampla olim conditoria essent, ac spatiosa, totius numerosae familiae condendae capacia; liberumque componendis ut liberet cadaveribus locum darent: nemo nunc, quo situ strata intus cadavera fuerint, coniecere potest. Non sic temere de Domini Corporis in sepulchro compositi statu, habituque pronunciamus: quem non modo ex Judaeorum illius aetatis moribus discimus; verum etiam ex praefata Christianae Ecclesiae disciplina certo colligimus. Ab exemplo siquidem Christi Domini in sepulchro compositi, vetus ille manavit ritus, quem doleo non esse ubique nunc uniformem; quo scilicet, humatorum capita ad Occidentem, pedes ad Orientem collocantur: ut vel sic Orientem Christiani sepulchri spectent, in spem futurae resurrectionis, cujus Oriens symbolum est.

Sepulchrum porro, quo sacrum Christi Corpus conditum est, & novum erat, & excidium in petra. Novum, inquam, in quo nemo unquam conditus fuerat; Deo ita providente, ne surgente Christo, alius quispiam antea sepultus surrexisse crederetur, aut fingeretur: excidium in petra, ne si ex multis lapidibus constructum fuisset, Christo suscitato, suffossis tumuli fundamentis, aut resosa serobe, ablatus a Discipulis furto diceretur. Qua etiam ratione, lapis ingens ad ostium tu-

sumuli est advolutus, qui & subinde a Principibus Sacerdotum publico sigillo signatus est, adhibitis etiam ad custodiam militibus. Ita volente Deo, ut quo magis sibi cavet perfida gens, ne fraus sibi ab Apostolis fieret, eo minus factam sibi fraudem caussari possit, ex quo resurrectio facta est.

II. Totum id operis, quantum quantum erat, peractum perfectumque fuit, ut dixi, antequam dies Parasceves elapsa esset, dum scilicet ad exitum inclinaret; hora, idest, de Meridie quinta, antequam Sabbathum Vespere, ut moris erat, inciperet. Imo hac ipsa de causa acceleratum est opus, quia mortuos sepelire sabbatho non licebat: dataque est sepultura in monumento non longe posito, quia in remotius, Christi Corpus efferre, angustia temporis non finebat. Quod Joannes his verbis expressit: *Ibi ergo propter parascevem (ad exitum vergentem,) quia juxta erat monumentum, posuerunt sepulchrum.*

Quid ergo, inquiet aliquis, sibi vult Lucas in Evangelio, dum ait Cap. 23. v. 54. *Dies Parasceves erat, & Sabbathum illucebat,* dum Christi Corpus sepulchro conditum est? Si etenim Parasceves erat, quantumcumque ad exitum vergens, ut diximus, Sabbathum vespere, Soleque occiduo incepturum imminere utique dici potuit, minime tamen illucescere, seu matutinam Sabbathi lucem oboriri. Inepa equivocatio illa est, ex rituum Judaicorum ignoracione oborta. Non enim, quod ait hic Lucas: *Dies Parasceves erat, & Sabbathum illucebat,* ad matutinam Sabbathi lucem alludit; cum a fine Parasceves ad matutinam Sabbathi lucem duodecim circiter horarum interitium esset; sed alludit ad lucenarum, lampadamque lucem, quas, inclinante Parasceve, paulo ante primam Sabbathi vespem, ac Sole ad occasum properante, accendebant Judaei; quod eas toto subinde Sabbatho prohiberentur accendere. Quare id unum Lucas sibi voluit, Christi Domini sepulchrum fuisse curatum, atque perfectum, dum adhuc Parasceves esset ad exitum vergens; Sabbathumque, accensis de more lampadibus, sub vespem illucesceret.

Sic itaque curatum est Christi Domini Corpus, nonnullorum quidem pietate, ac religione, aliorum vero sagacitate, atque solertia: verum beatissimam illius animam ad Inferos descendisse, Catholica Fides docet, jam inde ab Apostolorum temporibus, ut ex illorum Symbolo compertum est: *Descendit ad Inferos, tertia die resurrexit a mortuis:* ac etiam ex Epistola ad Ephesios Cap. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terrae?* Descendit porro, non quo genere motus moventur corpora, sed quo genere motus moventur Angeli: eadem enim Angelorum, & animarum separatum conditio est. Eundem illum Animam Christi descensum ad Inferos confirmat Petrus in Actibus Apostolicis Cap. 2. v. 24. & a Davide predictum monet iis Psalmi 15. verbis: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Quare ingentis impietatis, atque audaciae reus est Joannes le Clerc, sub Joannis Phereponi larva delitescens; qui pro Inferno sepulchrum illic intelligit vult; idque apud Hebraeos sonare ait vocabulum *Scebol*, quo Regius Vates est usus: nihilque aliud laudato Psalmorum oraculo significari, quam non permittitur Deum, ut David ipse vulneratus, aut male affectus moreretur. Si etenim ita est, ut Phereponus effudit, hebraici vocabuli potestatem ignoravit Petrus, Judaeisque, quos illic alloquebatur, aperte delusit. Pessimum quippe est, eum Regii Vates oraculum recitasse, ut Christi excitacionem ex

Inferis, ad quos descenderat, palam evinceret: *Quem Deus suscitavit,* inquit Petrus loco laudato, *solutis doloribus Inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* David enim dicit in eum: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear: propter hoc latitatum est cor meum, & exultavit lingua mea; in super & caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et post pauca: *Providens David locutus est de Resurrectione Christi: quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Licet ergo Hebraica vox *Scebol*, qua Regius Vates a Petro laudatus est usus, sepulchrum quandoque significet, loca tamen infera solutarum corporibus animarum receptacula perinde significare, notum est, ex illo Genesis 37. v. 35. ubi Jacob de filio suo Joseph, quem a fera pessima devoratum, atque ita sepulchrum existimabat, dixisse fertur: *Descendam ad filium meum lugens in Infernum:* Hebraice *Scebol*; in eum scilicet locum inferum, quo hominum animi a corpore soluti abeunt, & quo non dubitabat filium descendisse, cum ad sepulchrum delatus ille non esset, sed nec delatus putaretur a Patre. Nihil itaque dubitandum, Christi Animam (quidquid in oppositum Phereponus obgannat) ad Inferos eo mortis triduo descendisse.

III. Verum cum Inferorum nomine varia loca intelligantur: primo Limbus Patrum, quo veterum Justorum animae continebantur: secundo locus animarum, quae Divina justitiae necdum plane satisfecerunt, qui & Purgatorius nominatur: tertio Inferus damnatorum, in quo pueros quocumque cum solo peccato originali ex hac vita sublato detineri docuimus: non eadem plane ratione, eodemque modo descendit ad singulos. In Limbum Patrum, veterumque Justorum, descendit secundum essentiam, atque substantiam, ut perfectum humanae Redemptionis opus significaret, illosque prope diem in caelestem patriam deducendos denunciaret. In caetera vero loca, virtute dumtaxat, & operatione descendit: ad animas scilicet nondum plane purgatas, ut eas in certam spem gloriae obtinenda erigeret: ad damnatos, ut illorum incredulitatem, atque malitiam redargueret. Ita Doctor Anglicus 3. par. quaest. 52. art. 2.

IV. Quare vitandus hic venit geminus error: alter quidem perinde stultus, ac impius Joannis Calvinus, qui Christi Animam damnatorum cruciatus, ac poenas in Inferis sustinuisse blasphemavit lib. 2. Institutionum Cap. 16., cum contra Scriptura Sacra diserte testetur: *Deus Christum suscitavit a mortuis, solutis doloribus Inferni, quibus impossibile erat teneri eum.* Alter nonnullorum imprudentum Theologorum error devitandus est, qui Christum in Inferos damnatorum descendentem, salutem & liberationem etiam incredulis attulisse, commenti sunt. Quam sententiam haeresibus adnumeravit in antecessum Divus Augustinus lib. de haeresibus ad Quodvult Deum, num. 70. ac post illum Philastrius haeresi 74.: damnaruntque perinde S. Irenaeus lib. 4. Cap. 39. S. Epiphanius haeresi 69. S. Petrus Chrysologus Serm. 122. & S. Gregorius Magnus lib. 13. Moralium Cap. 15. quamque subinde saeculo nono damnavit Concilium Valentinum quatuor Provinciarum Cap. 4.

Theologos illos delusit perfidissimis, & obscuris locis Epistolae primae Catholicae D. Petri Cap. 3. ita de Christo scribentibus: *His, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca.* Unde col-

colligi videtur, illos ipsos, qui tempore Noe increduli fuerant, quique infernali carcere detinebantur, fuisse a Christo Domino liberatos. At spuria haec, falsaque confectio est. 1. Quia non de spiritibus illorum liberatione, sed de praedicatione Christi spiritibus illis facta loquitur D. Petrus. Potuit autem Christus spiritibus illis incredulis in Inferno detentis praedicare, ad increpationem, majoremque terrorem, nec tamen illos ex Inferis liberare. Ita S. Joannes Damascenus lib. 3. de Fide Cap. 29. locum illum exponit. 2. Quia non liquet, an de spiritibus incredulis in ipsa incredulitate defunctis loquatur Petrus: an potius de iis, qui cum adhortationibus, & admonitionibus Noe siem non dedissent toto tempore, quo construebatur Arca; postea tamen, inundante Diluvio, ad Deum per poenitentiam conversi sunt: qui idcirco non in carcere infernali damnatorum, sed in carcere purgatorio Justorum detinebantur. Iis Christum descensu suo salutem attulisse, ad certe imminetiam denunciatae, nemo negaverit. Divi Hieronymi interpretatio est, in quaestionibus Hebraicis in Genesis ad Cap. 63. Quia nequidem constat, loqui illic Petrum de Christi descensu ad Inferos, de quo nobis est disputatio. Imo verisimiliter existimatur, loqui illum de Christi Divinitatis operatione, quam a principio Mundi exercuit; ut sit sensus, Christum iis spiritibus, qui in hoc mortali corpore tanquam in carcere inclusi erant, spiritu Divinitatis suae venientem praedicasse per internas inspirationes; ac etiam per externas, Justorum scilicet ministerio, atque monitis: illisque eo modo speciatim praedicasse, qui increduli fuerant tempore Noe. Interpretationem hanc Augustino debemus Epistolae 95. ad Evodium, & D. Thomae 2. par. quaest. 52. art. 2. ad 3. Quare nihil in illius erroris praesidium extuadi potest, ex obscuro illo, ac perfidissimis D. Petri testimonio.

V. Sed quid tandem de Divino Verbo statuendum, toto illo mortis triduo, quo & anima descendit ad Inferos, & corpus jacuit in sepulchro? Iis ne perinde, ac antea hypostatice mansit unitum; an autem substantialis illa unio soluta est? Manifeste omnino unionem hypostaticam, Catholica Fides docet: adeo ut quamquam ambae partes humanitatem constituentes, corpus nimirum, & anima essent a se invicem separatae; ambae tamen Verbo Divino, ac Dei Filio hypostatice unitae remaneret. Quo enim titulo profiteamur in Symbolo, Filium Dei unigenitum conceptum esse de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, ac denique passum, quam quia Filius Dei hypostatice erat unitus humanae naturae, conceptae, natae, patienti: igitur nec alio titulo profiteamur eodem in Symbolo, Filium Dei sepulchrum esse, & ad Inferos descendisse; quam quia hypostatice remanebat unitus Corpori sepulchro, & Animae ad Inferos descendenti. Quid etiam, quod Ecclesiae Patres, maxime vero S. Athanasius lib. de Salutari Adventu Domini, & S. Gregorius Nyssenus Oracione 2. contra Eunomium, probant adversus Apollinaristas, Verbum Divinum in Christo Animae vices minime gessisse; quia hoc pacto Corpus ejus immortale fuisset; quippe quod a Verbo separari non posset, Animae vices, ut ipsi fabulabantur, gerente? Principii itaque loco habent, Verbum numquam a corpore fuisse separatum. Quod utique tanquam constanti fide credendum proponit Catechismus

Concilii Tridentini in expositione quarti articuli Symboli Apostolici. Accedunt angelicae D. Thomae rationes 3. p. quaest. 5. art. 2. *Id quod per gratiam Dei conceditur, nunquam absque culpa revocatur.* Unde dicitur ad Rom. 10. quod fine poenitentiae sunt dona Dei, & vocatio. Multo autem major est gratia unionis, per quam Divinitas est unita carni in persona, quam gratia adoptionis, qua aliqui sanctificantur, & etiam magis permanens est sui ratione: sed gratia adoptionis nunquam perditur sine culpa: cum ergo in Christo nullum peccatum fuerit; impossibile fuit, quod solveretur unio Divinitatis Christi a carne ipsius. Et ideo sicut ante mortem, caro Christi unita fuit secundum personam, & hypostasim Verbo Dei, ita etiam remansit unita post mortem, ut dicit Damascenus lib. 3. de fide Orthodoxa. Et in 3. Sentent. dist. 21. quaest. 1. art. 1. *Corpus Christi in morte non fuit separatum a Divinitate. Cujus ratio ex tribus potest accipi. Primo ex parte Dei: quia cum ipse sit immutabilis, ei quod sibi perfecte conjunctum est, immutabilitatem praestat, ut scilicet immobiliter ei adhaereat. Secundo ex parte ipsius assumpti: quia post mortem, quam per Patris obedientiam sustinuit, non debuit suam dignitatem amittere, sed magis glorificari. Tertio ex fine assumptionis, quia ea, quae post mortem ipsius circa ipsum acta sunt, salutaria ipsius non fuissent, nisi Divinitas adjuncta esset. Quae omnia, etsi de unione Divinitatis cum corpore dumtaxat dicta sint, de unione tamen ejusdem cum Anima perinde concludunt. Unde 3. p. q. 50. art. 3. subiungit: *Anima unita est Verbo Dei immediate, & per prius, quam corpus, cum Corpus sit unitum Verbo Dei mediante Anima. Cum ergo Verbum Dei non sit separatum in morte a Corpore, multo minus separatum est ab Anima.**

VI. Neque vero huic dogmati repugnasse censendi sunt Patres nonnulli, qui Divinitatem ab humanitate ad tempus saltem recessisse docuerunt; dum Christum morti proximum in hac verba exclamavit: *Deus Deus meus, ut quid me derelinquisti?* Ut S. Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Clamavit homo separatione Divinitatis moriturus:* S. Hilarius Comment. in Matth. Cap. 3. *Clamavit homo ad Deum Corporis vox est, recedentis a se Verbi Dei contestata dissidium:* S. Epiphanius haeresi 69. *Videns Divinitatem jam in proximo esse, ut Sanctum Corpus desereret, vocem illam emisit.* Nihil enim aliud sibi voluit Patres illi, quam Divinitatem a Christi Corpore recessisse, illudque deseruisse foris, ut non adesset illi ad defensionem contra tortores; non tamen desuisse intus ad unionem hypostaticam. Quae Magistri Sententiarum interpretatio est lib. 3. dist. 21. & D. Thomae 3. p. q. 50. art. 2. ad 1. Aut etiam, ut nonnullis Theologis visum est, Divinitatem Christum in cruce patientem deseruisse, subtractione delectationis spiritualis ex visione beatificae in animam profluentis; non subtractione unionis hypostaticae. Sunt etenim Theologi primae notae, inter quos Melchior Cano, Alphonsus Salmeronius, Joannes Maldonatus, Gregorius de Valentia, qui putant, Deum, qua ratione toto tempore vitae Christi, beatitudinem ex Divina, qua fruebatur, visione promanaturam cohibuit, ne desisteret in Corpus, ut videlicet pati posset; ita eandem in supremo crucis sacrificio cohibuisse, ne & inde gaudium, ac delectatio redundaret in Animam; ut supremum, & doloris, & tristitiae sensum pro nobis habere posset. Quod ingens ejus erga nos Charitatis argumentum fuit: Ut aperte docet Ambrosius in Cap. 22. Lucae: *Sequestrata delectatione Divinitatis aeternae, radio meae infirmitatis afficitur.*

Non me fugit, sententiam illam aliis plerisque Theo-

Theologus minus probati; qui putant delectationem Animæ a Dei fruitione seungi non posse: quia fieri nequit, ut summum bonum sine gaudio, atque delectatione possideatur. Sed has quoque difficultates laudati Theologi diluere adnituntur; nosque utcumque diluimus in nostris Melchioris Cæsi vindiciis, quæ in postrema illius Editione in Patavino Seminario curata anno 1714. legi possunt. Illud tamen dissimulare omnino non possumus, nihil esse necessitatis, in Theologorum illorum sententiam descendere; summumque gaudium ex Dei Visione profuens, Christo in extrema Passione subtractum dicere, ut summa tunc tristitia, summoque dolore affici possit. Quo pacto enim in Christo Domino stare duo illa poterint, summum gaudium, summusque dolor, atque tristitia, eleganter exponit Doctor Angelicus in 3. Sent. dist. 15. quæst. 2. art. 3. quæstioncula 2. ad 5. cuius verba de integro recitare non pigebit: *Dicendum, quod fruitio Deitatis, & gaudium inde consequens erat in superiori parte rationis, in ordine ad suum objectum. Dolor autem non perveniebat ad superiorem rationem, nisi secundum quod fundatur in essentia Animæ: sed in ratione inferiori, & in sensualitate, & in sensu erat tristitia, & dolor etiam secundum comparationem ad objecta in quantum huiusmodi: qui tamen dolor erat quodam modo materia gaudii fruitionis; in quantum gaudium illud se extendebat ad omnia illa, que apprehenduntur, ut Deo placita. Et sic patet, quod dolor, qui erat in Anima Christi, nullo modo gaudium fruitionis impediabat, neque per modum contrarietatis, neque per modum redundantie. Tristitia enim contrarium gaudium impedit, sicut quodlibet contrarium impeditur a suo contrario: tristitia autem, que erat in Anima Christi, nullo modo gaudium fruitionis contraria erat, quod patet ex tribus: primo, quia non inerant eidem, sed vel in diversis potentiis erant, vel in eadem secundum diversam operationem: Secundo, quia non erant de eodem: Tertio, quia unum erat materia alterius: sicut accidit in penitente, qui dolet, & de dolore gaudet. Sed ulterius omnis tristitia secundum Philosophum in 7. Ethnicorum impedit omnem delectationem propter quandam redundantiam, secundum quod nocentium unius potentie redundat in aliam: talis autem redundantia non fuit in Christo, nisi quando ipse volebat. Unde gaudium, quod erat in superiori ratione per comparationem ad objectum, non redundabat in vires inferiores, ut ab eis dolor, & tristitia tollerentur; neque ulterius in corpus, ut a lesione immuno esset: nec per consequens in animam, nec in potentias, secundum quod in essentia anime radicantur, prout lesio corporis ad essentiam anime, & ad potentias in ea radicatas peringit.*

VII. Illud nunc majori studio querendum nobis esset: an securi Verbum Divinum Corpori, & Animæ Christi a se invicem separatis remansit semper unitum; ita & Sanguini effuso, & ab exanguis corpore in Passione separato, unitum semper fuerit, atque conjunctum? Ea de re tamquam pro aris, & focis sæpenuero disputatum est Dominicanos inter, & Franciscanos, anno 1351. sub Clemente VI. anno 1462. sub Pio II. Dominicanis indivisum, & constantem Divini Verbi cum Sanguine etiam effuso unionem propugnantis; Franciscanis vero negantibus: Ecclesia autem priorum sententiam magis probante, & confirmante, ac tantum non desinente. Verum, quia donec in publicum prodeat Apostolicæ Sedis iudicium, a contrariæ sententiæ censuris interdictum est; ideo pio silentio litabo, rerumque sub Pio II. gestarum simplicem narrationem subijciam, aliorum potius lingua, quam mea; ne in causa domestica ad meorum gratiam

loqui, pristinaque odia excitare videar. Sic igitur factum narrat Gobelinus lib. XI. de gestis Pii II. Henricus Spondanus, & Odericus Raynaldus ad annum 1462. & 63. „ Hoc eodem anno magna mota est controversia inter Fratres Minorum, & Prædicatores de Sanguine Christi, in triduo Passionis a corpore separato: utrum Divinitati unitus perseveraverit? Cum enim apud Brixiam Jacobus Marchianus Ordinis Minorum, die Paschæ Sermonem ad populum habens, inter cætera asseruisset, pretiosum Christi Sanguinem, dum triduo illo jacuit in terra sparsus, indignum fuisse latræ cultu, quoniam suffus, & a corpore Dominico separatus, Hypostaticam Verbi unionem protinus amississet: Hoc audiens Inquisitor Hæretica pravitatis Ordinis Prædicatorum, illico Jacobo precepit revocare tanquam erroneæ, quæ dixerat; & interterim contrariam sententiam per unum e suis prædicari fecit. Crescente contentione, & Schismate in populo facta, nec valente Episcopo loci tumultum sedare, res ad Apostolicam Sedem remissa est. Qua de re Pius II. eo tempore Summus Pontifex Præfectis Ordinum mandavit, doctissimos eorum Theologos ad Curiam mittere, quos in festo Natalis Domini audivit disputantes tribus diebus, in Palatio Apostolico, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, ac Divini, & humani juris Doctoribus, qui in Curia erant. Denique post triduum, cum partes, quæcumque voluissent, in medium produxissent, dissoluto auditorio, Pium cum Cardinalibus plerisque diebus retractasse: majorem partem sententiam Prædicatorum approbasse; paucos cum Minoribus sensisse: Pium quoque in majori parte fuisse: sed non esse visum, eo tempore decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcas prædicatio necessaria, offenderetur: ac propterea in aliud tempus decisionem referri placuisse. Quam tamen nunquam placuit decidere. Sed biennio post Anconæ, dum esset navigaturus in Turcas, Calendis Augusti 1464., die ante obitum decimaquinta, Constitutionem edidit, qua ad pacem inter illos Ordines, & in universa Ecclesia super hac quaestione conservandam, statuit, nulli licere, opinionem negantem Sanguinem Christi in triduo Passionis a corpore separatam, Divinitati unitum permanisse, ut Hæreticum proferbere, donec per Sedem Apostolicam, quid in hujusmodi quaestione sentiendum esset, definiretur.

EXERCITATIO LX.

De Christi Resurrectione.

I. Dominicæ Resurrectionis Mysterium tandem attingimus, ex quo, uti tota Christi Domini veracitas, ita & tota Fidei nostræ firmitas pendet. Si Christus non resurrexisset, aiebat Apostolus I. ad Corinth. Cap. 15. *inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Cum etenim Christi toties se resurrecturum esse promiserit, fuæque Passionis ignominiam ea promissione depulerit: is & falsa docuisset, & homines turpiter deluisse convincitur, si re ipsa non resurrexisset. Sed nec una illa peractæ Resurrectionis ratio fuit; sunt & aliæ longe plures ex Sacris Litteris delibata, quas brevi complexus est Doctor Angelicus 3. parte quæst. 53. art. 1. „ Ne cessarium fuit, inquit ille, Christum resurgere propter quinque. Primum quidem, ad commendationem Divinæ justitiæ, ad quam pertinet, „ exal-

„ exaltare illos, qui se propter Deum humiliant, „ secundum illud Lucæ 1. *deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Quia igitur Christus propter charitatem, & obedientiam Dei, se humiliavit usque ad mortem crucis, oportebat, quod exaltaretur a Deo usque ad gloriosam Resurrectionem. Unde ex ejus persona dicitur in Psal. 138. *Tu cognovisti, id est, approbavisti sessionem meam, id est, humilitatem & Passionem; & resurrectionem meam, id est, glorificationem in Resurrectione: sicut Glossa exponit.* Secundo ad Fidei nostræ instructionem: quia per ejus resurrectionem, confirmata est fides nostra circa Divinitatem Christi; quia ut dicitur 2. ad Corinth. ultimo: *Estis crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Et ideo I. ad Corinth. 15. dicitur: *Si Christus non resurrexisset, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Et in Psal. 29. dicitur: *Quæ utilitas in sanguine meo, id est, in effusione sanguinis mei, dum descendo, quasi per quosdam gradus malorum, in corruptionem? quasi dicat: nulla. Si enim statim non resurrexisset, corruptumque fuerit corpus meum, nemini annuntiabo, nullum lucrabor, ut Glossa exponit. Tertio, ad sublevationem nostræ spei; quia dum videmus Christum resurgere, qui est Caput nostrum, speramus & nos resurrecturos. Unde dicitur I. ad Corinth. 15. *Si Christus prædicatur, quod resurrexisset a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non erit? . . . Quarto, ad informationem vitæ fidelium, secundum illud Roman. 6. *Quomodo Christus resurrexisset a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et infra: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: ita vos existimate, mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.* Quinto, ad complementum nostræ salutis: quia sicut per hoc, quod mala sustinuit, humilitatis est moriendo, ut nos liberaret a malis; ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona, secundum illud Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.***

Hæc ipsa necessitas in Christo Domino Resurrectionis memorata nos movent, ut peculiari studio, ac diligentia Mysterium istud, ex quo tota Catholica Religio ratio pendet, bono in lumine colloceamus; omnes obortas difficultates expediamus, de die, & hora peractæ Resurrectionis, de probationibus, quibus veritas ejus asserta est, de diis demum iustorum corporibus, quæ una cum Christo Domino surrexerit leguntur in Evangelio. Ad rem itaque veniamus.

II. Christum prima hebdomadæ die, quæ nobis Dominica est, ad diluculum, subque Auroram surrexisset, compertum est. Mulieres enim religiose, quæ hac ipsa die summo mane, ac Sole vix illucescente ad Sepulcrum venisse dicuntur a Marco Cap. 16. & a Luca Cap. 23. factam jam resurrectionem invenerunt. Duo tamen difficultatem ingenerant non ita soluta facilem. Primum, quod secum invicem pugare videantur Evangelistæ, in piarum illarum Mulierum ad Sepulcrum adventu enarranto; Matthæus enim venisse eas ait, ipso vespere Sabbathi: *Vespere autem Sabbathi, que lucebat in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum.* Marcus vero cum transisset Sabbatum, venisse illas observat. Rursus Joannes Mariam Magdalene venisse ait mane, cum adhuc tenebre essent: Marcus autem valde quidem mane venisse scribit, sed orto jam Sole. En primum, in quo

Serry Tom. III.

secum collidere videntur Evangelistæ. Secundo difficultatem ingenerat, quod si Christus Dominica ipsa die sub Auroram, atque diluculum surrexisset, (cum die Parasceves, ut diximus, hora circiter de Meridie quinta fuerit tumulto datus) tertia die resurrexisset non videatur: quod tamen ille futurum sponderat: multo minus tribus diebus, & tribus noctibus in Sepulcro jacuisse dici possit; quod tamen eventurum prænuiciaverat Matth. 12. *Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terre tribus diebus, & tribus noctibus.* En scopulum alterum, in quem videntur impingere Scriptores Evangelici.

III. Antequam primæ difficultati satisfaciam, observet necesse est studiosa Juventus, nomine Sabbathi, seu Sabbathorum, non solum septimam diem quieti destinatam intelligi Sacris in Litteris; verum etiam totam quandoque hebdomadam, diebus septem omnino constantem: quo sensu dictum legimus in Evangelio Luc. 18. *Jejuno bis in Sabbato, hoc est, in hebdomada: cum una die bis jejunate impossibile sit.* Sic ergo dum ait Matthæus: *Vespere autem Sabbathi, que lucebat in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, ad duplex Sabbathum statim alludit; Mariamque Magdalenam venisse significat vespere Sabbathi, nempe diei septimæ; & in prima Sabbathi, hoc est, prima die hebdomadæ. Quia tamen & hæc duo etiam pugnare videntur, quod venerit Vespere Sabbathi, & illucescente die prima hebdomadæ; quandoquidem ad Sabbathi vespere nondum illucescit prima hebdomadæ dies: scire jurat, Matthæum Vespere Sabbathi vocare, non vespertinum tempus, quod inter lucem desinentem, & tenebras oborientes interjacet; sed totam noctem intelligit Sabbathum subsequentem; in cujus extrema parte, id est, mane jam lucecente, Maria cum aliis ad tumulum venit. Hebræi enim totam plerumque noctem vespere vocant, & totam plerumque diem mane nuncupant: quod maxime videre est Genesis Cap. 1. *Factum est vespere, & mane dies primus:* adeo ut Matthæi sensus sit: *Vespere autem Sabbathi, id est, nocte sequente Sabbathum.* Eum porro esse Matthæi sensum, liquet ex Græco Textu, ad quem Latinam Versionem debemus exigere; sic enim habet: *Ἐν τῇ ἑβδωμῇ τῇ ἑβδωμῇ αὐτῇ ἡν ἔρχεται ἡ ἡμέρα;* id est, *tardo post Sabbathum, ea die, que lucebat in prima Sabbathi, seu in primam hebdomadæ diem.* Quod tantum adest, ut Marco repugnet, ut potius maxime congruat dicenti Cap. 15. *Cum transisset Sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emolunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Si quis autem in Latina Matthæi periodo grammaticum sensum requirat, quem putet vitiatum, dum ait: *Vespere autem Sabbathi, que lucebat in prima Sabbathi;* hunc ad Ludimagistros amandabimus, ut noverit, pronominia non semper ad priora, sed quandoque ad posteriora referri, hancque ideo constructionem esse: *Vespere autem Sabbathi, in prima, que lucebat die Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum.* Atque hæc de prima Matthæum inter, & Marcum antilogia.*

Alteram, quæ Marcum inter, & Joannem occurrat repugnantia, de Mulieribus ad Sepulcrum properantibus; quæ ab uno quidem, orto jam Sole, ab altero, dum adhuc tenebre essent, venisse dicuntur; præfatos Ecclesiæ Patres non modice torfit. Nonnulli enim Mulieres illas, non semel, sed bis, ac etiam tertio ad tumulum venisse respondent: ac primum quidem, dum adhuc tenebre essent, quod Joannes ait: postea orto jam Sole, quod Marcus memorie prodidit. Ita Divus Hieronymus.

E e rony-

ronymus in Commentariis, & S. Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Basilidem. Alii non eadem prorsus Mulieres a Joanne, & Marco memoratas existimant; sed diversas omnino, aliasque aliis diligentiores. Ita S. Ambrosius lib. 10. Commentariorum in Lucam, & S. Gregorius Nyssenus Orat. 2. de Resurrectione. Attamen quia utrumque Evangelistam diligentius meditantem inspectum est, de iisdem prorsus Mulieribus, ac de eodem ad Sepulcrum accessu Marcum, & Joannem fuisse locutos: imo cum hanc ipsam apparentem antilogiam in eodem Evangelista, eodemque Orationis contextu observemus: (Marcus enim utrumque ait, & valde mane veniunt, & orto jam Sole: utrumque similiter Lucas habet; & valde diluculo Cap. 23. v. 56. & ante lucem Cap. 24. v. 22.) idcirco aptior, expeditiorque mihi visa est D. Augustini conciliatio lib. 3. de consensu Evangelistarum Cap. 24. qui in eo Mulierum ad Sepulcrum accessu, duas veluti partes, seu intervalla distinguit; egressum nimirum e domibus suis, & accessum ad tumulum; atque illum quidem non modico temporis spatio, isto priorum; cum Calvariae locus, hortusque in eo situs, ubi Christus sepultus fuerat, extra Ierosolymam situs esset, ad Occidentem, & Septentrionem: ita scilicet, ut quae ante diluculum e domibus suis Mulieres egressae fuerant, non nisi sub Solis ortum ad tumulum adventarint. Eaque ratione factum est, ut Joannes in ea scribenda historia egressum e domibus spectans, venisse Mulieres dixerit, dum adhuc tenebrae essent: Marcus autem in adventum ipsum, atque accessum intendens, venisse illas scripserit orto jam Sole. Quod tamen non de toto Solari corpore super terram apparente, sed de primis radiis noctis tenebras depellentibus intelligi vult Sanctissimus Doctor, ac post illum Theophylactus, Euthymius, & Venerabilis Beda. Quis etiam certo spondere audeat, nihil illis religiosis Mulieribus accidisse, unde illarum ad Sepulcrum adventus ad Solis ortum fuerit retardatus: quamquam ipse ante diluculum e suis domibus profecta fuissent? Quid, si domos suas ad Orientalem Ierosolymam partem sitas habuerint; cum tamen extra Ierosolymam ad Occidentem situm esset Christi Sepulcrum? Quid, si portam Civitatis ocellum adhuc invenerint, ac non nisi post diluculum aperiendam? Quid, si hortus, in quo sepultus est Dominus, muris, aut sepius cinctus esset, qui obex superandus illis fuerit, antequam ad tumulum pervenirent? Nihil itaque mirum, Marcum ad utrumque respicientem utrumque perinde dixisse: *Et valde mane una Sabbatarum veniunt ad monumentum orto jam Sole*. Nempe valde mane profecta, orto jam Sole perveniunt. Mitto quorundam loci huius impeditissimi solutionem, plus scurrilitatis, & dicacitatis, quam pietatis, & religionis habentem: Marcum scilicet Mulieres ad Sepulcrum orto jam Sole venientes, dixisse valde mane venisse: quod nempe Mulieribus delicatis, atque ad surgendum electulo pro more pigris, Solis ortus summum mane censetur. De iis enim Mulieribus sermo venit, quas ardens in Christum zelus, & amor, non modo supra sexum exexerat, verum etiam viris, ac ipsis Apostolis antulerat.

Mitto meliori titulo Agridentis Abbatissae commentum, ad salebrosae difficultatis solutionem excogitatum: pius nempe mulieres, valde mane, orto tamen Sole ad sepulcrum venisse; quod resurgente Domino, Sol tribus ante horis fuerit ortus, qui Domino patiente tribus horis deliquium passus erat: ut factam tunc lucis suae iacturam in integrum repararet. Egregie excogitatum! Quasi Sol pendente de cruce Domino deliquium pas-

sus, stetit immotus; ut ortu subinde praepropero tarditate & moram die altera compensare necesse fuerit: stupendumque phaenomenon, quod orbe toto conspicuum esse debuit, omnibus retro saeculis potuerit ignorari.

IV. Alio me vocat objecta altera difficultas de tribus diebus, totidemque noctibus, quibus Christi corpus in Sepulcro dicitur jacuisse, Marthae Cap. 12. quod tamen ab hora circiter quinta post Meridiem diei Parasceves, qua tumulo datum est, ad diluculum usque diei Dominicae, qua surrexit ex tumulo, triginta sex horas ut summe jacuit. Fuere, qui, ut eo se nodò exsolvent, Christi sepulcrum anticiparint; eumque non die Venetis, sed die ipsa Jovis crucifixum, atque sepulcrum commentum fuerint, Evangelio palam, aperteque repugnante, ubi Christus die ipsa Parasceves, quod est ante Sabbatum, crucifixum legitur, ac sepulcrum. Alii, quos inter numerat Alcuinus, lib. de Divinis Officiis, novo absurditatis genere, Christi resurrectionem procrastinarunt; eumque a mortuis suscitatum posuere secunda duntaxat Hebdomadae die, Evangelio perinde reclamante, ubi Christum legitur suscitatum prima Sabbatarum, & una Sabbatarum, hoc est, prima hebdomadae die. Nos, nec anticipata, ut prioribus placuit, sepultura; nec procrastinata, ut aliis visum est, resurrectione, satis abunde spatii invenientur, ad tres dies, noctesque totidem numerandas: non omnes quidem plenas, & integras, sed partiales aliquas, ac per Synecdochen computatas.

Quod ut facilius percipiat studiosa Juventus, advenit oportet, dies naturales ab Altrionomis, & Romanis fuisse solitos computari, a media nocte ad alteram mediam noctem; uti & illos Ecclesia computat in jejuniis. Quam naturalium dierum computationem, a Romanis in Judaea tunc temporis imperitantibus, Judaei ipsi fuerant mutuari. Et si enim dies sacros, seu festivos a vespere ad vespem ducentes; artificiales vero a Solis ortu ad ortum alteram; naturales tamen a media nocte ad alteram mediam noctem computabant. Sic ergo, diebus naturae ordine secundum Altrionomis computatis, tres dies, totidemque noctes, a Christi morte ad resurrectionem facile numeramus per Synecdochen. Christus enim hora nona Judaica Parasceves, seu tertia post meridiem mortuus est, & quinta circiter tumulo datus: quidquid ergo lucis residuum fuit, & quidquid tenebrarum accessit ante mediam Sabbathi noctem, id ad naturalem Parasceves diem, noctemque pertinebat. En jam diem unam, noctemque unam per Synecdochen computatas, partem pro toto accipiendò. Tum a media nocte, integra Sabbathi dies secuta est, ad alteram mediam noctem, quae Dominicam inchoavit: en rursus diem alteram, noctemque alteram. Demum quidquid tenebrarum, lucisque fuit ab ea secunda media nocte, ad diluculum Resurrectionis; totum id ad noctem, diemque Dominicam pertinebat; alteramque idcirco noctem, diemque constavit, per Synecdochen pariter computatas. A morte igitur ad Resurrectionem tres dies, totidemque noctes extirere. Dies nimirum una, itemque nox una plena, & integra, nempe Sabbathi: dies vero duae, noctesque duae dimidiae; illa quidem ad Parascevem, ista ad Dominicam pertinentes.

Cur autem hac ipsa die tertia fuerit suscitatus, elegantem rationem assignat Doctor Angelicus 3. parte quaest. 53. art. 2. *Resurrectio Christi, inquit, necessaria fuit ad instructionem Fidei nostrae. Est autem Fides nostra, & de Divinitate, & de Humanitate Christi: non enim sufficit, alterum sine altero credere. Et ideo ad hoc, quod confirmaretur Fides de veritate Divinitatis ipsius, oportuit quod*

cito

cito resurgeret, & ejus Resurrectio non differretur usque ad finem Mundi. Ad hoc autem, quod confirmaretur Fides de veritate Humanitatis, & mortis ejus, oportuit moram esse inter mortem, & Resurrectionem. Si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset, quod ejus mors vera non fuerit, & per consequens nec Resurrectio vera. Ad veritatem autem mortis Christi manifestandam sufficiebat, quod usque ad tertium diem ejus resurrectio differretur: quia non contingit, quin infra hoc tempus, in homine, qui mortuus videtur, cum vivat, appareant aliqua indicia vitae.

V. Verum & haec ipsa, tamen si per sese gravia, imo gravissima, sunt tamen eorum, quae de Resurrectionis veritate dicenda sunt, comparatione levissima. In id enim Theologorum desudare debet industria, ut Christum vere a mortuis suscitatum evincant, quod ni faciant ruit ab imo Christianae Fidei fundamentum. Compendio confecta res esset, si Judaei integram ea in re fidem faceret Flavii Josephi Scriptoris inter illos celeberrimi, quique Apostolorum temporibus vixit, disertissimum testimonium lib. 18. Antiquitatum Judaicarum Cap. 4. ubi tam aperte Jesum nostrum a mortuis suscitatum memorat, suisque post suscitationem Discipulis conspicuum scribit: *Fuit autem, inquit ille, hoc tempore Jesus, vir sapiens; si tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, Magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plures quidem ex Judaeis, plurimos etiam ex gentibus ab se pertraxit. Christus huc dicebatur. Cumque cum a primariis gentis suae accusatum Pilatus ad crucem damasset, ab eo diligendo non desisterunt, qui primum ceperunt. Nam post tertium diem redierunt ipsis apparuit: cum Divini Verax haec, aliaque quamplurima admiranda de eo praedixisset. Neque ad hanc diem desinit denominatum, ab eo Christianorum genus. Verum cum de hoc ipso Josephi testimonio, genuinum ne sit, an autem ejusdem Codicibus insertum, mutuo inter sese digladiantur Christiani quoque Traditores, ac viri etiam summe Catholici: ineptum plane fuerit, Judaeos eo suffragio revincere velle. Attamen res ipsa tota in hocce Dominicae Incarnationis miraculo ita gesta est, ut ipso etiam tacente Josepho, Apostolorum testificatio, ad extorquendum miraculum ingeniorum assensum, sola sufficiat, si singula penitentur.*

In primis enim, ut erudite, sapienterque animadvertit Illustrissimus Praeful Petrus Huetius in Demonstratione Evangelica, eam Resurrectionis Historiam eo tempore scriptis Matthaeus, quo infanti supererat patri potenti oculati testes, vel auriti, qui mendacium extemplo refellere potuissent. Tum addit alia non pauca Mattheus, quae fidem veluti publicam faciunt; multa scilicet Sanctorum corpora una cum Christo suscitata, quae deinceps Ierosolymis visa sint pluribus: habitum Judaeorum consilium, ut satellites Sepulcri custodes numerata pecunia subornarent, qui publice testarentur, ipsis dormientibus Christi corpus ab illius Discipulis fuisse surreptum. Quae cum facta publica sint, totique Ierosolymorum Civitati notissima, consingit pro arbitrio nequiverunt: utpote quae unicuique refellere promptum erat. Rursus haec ipsam Resurrectionis Historiam quinque Judaeorum millibus in publica concione narravit Petrus, Actorum 4. Quingentos, & eo amplius testes, quibus Christus redivivo apparuerit, producit Paulus 1. Corinth. 15. Equis putet, eos pudori suo tam male consuluisse, ut stolidum adeo, crassumque commentum ipsi rei gesta conficiis, oculatitque testibus venditarent? Aut certe si illos fabulatores imprudentes fuisse, hodierni Judaei velint; vel unum illius aetatis Scriptorem Serry Tom. III.

proferant nobis, quo constet, iisdem fuisse ab aliquo contradicendum.

VI. Clamant, Jesu corpus ab Apotolis fuisse surreptum, sopitis somno custodibus: hincque ortam opinionem de Jesu ad vitam vocato. At, ut idem prosequitur doctissimus Praeful, cum Judaei principes Christi de futuro suo ad vitam reditu sollicitatione commoti, Sepulcrum ipsum obfignassent, custodes apposuissent, modicisque omnibus praecavissent, ne sibi fraus ab illius Discipulis fieret: eadem opera factum est, ne inentantem sibi fraudem causari jam possint, postquam re ipsa revixit: nullaque jara iis suppetit, de dolo malo criminatio, atque exceptio. Praeterea quis putet, Apostolos viros simplices, rudes, imperitos, metuciosos; & ad fatellitum adventum, imo ad unius ancillulae vocem paulo ante trepidantes, tantum auros fuisse facinus; ut corpus Jesu surriperent, & deceptis custodibus, numerosissima Judaeorum factioni os sublinirent? Quis credat, tantum ipsis fuisse otii, ut ingentem lapidem Sepulcri ostio advolutum amovere, sudarium, & insertitas corpori adhaerentes explicare, atque disjungere possent, dum prope erant fatellites femitomes, quos vel levissimum murmur poterat excitare? Sed etsi daremus, id artentare Apostolos potuisse, quis eos id voluisse sibi persuadeat? Quis eos adeo insaniisse censet, ut, nullo proposito opere pretio, fraudem univerto hominum generi, sibi ipse struere vellent; & vitam pro mendacio, cujus essent sibi conscii, & pro fictitia religione pacifici, atque profundere? Quis fingat, tot homines in periculofum adeo flagitium, (cujusmodi erat surreptio corporis Christi) falsamque de redivivo opinionem spargendam, mutuo conspirasse.

Ad haec, imprudenter omnino a Judaeis excogitatum est commentum illud, de custodibus somno correptis, qui surreptum Christi corpus attestarentur. Quomodo enim sopiti homines deprehendere per somnum potuerunt, corpus Jesu ab Apotolis fuisse surreptum? Quo pacto id fecerunt, quod incisi ipsis ac dormitantibus factum est? Accedit & illud observatio dignissimum, Apostolos post vulgatum de Christo redivivo rumorem, diu Ierosolymis subsistisse, palamque fuisse conversatos. Si ergo Christus ad vitam minime rediisset, sed ipse e contrario corpus emortuum de tumulo sustulissent: quid facilius Pontificibus, aliisque Synagogae principibus, quam ab iisdem sublatum corpus iterum reperere, palamque spectandum plebi proponere: quo confecto, rumor statim omnis de redivivo Christo conticisset? At nihil hujusmodi quidquam ab iis tentatum est, quorum tanti nihilominus intererat, vulgatum rumorem momento depellere.

VII. Erant fortasse, qui dicant, Apostolos ad Sepulcrum subterraneos cuniculos egisse, suffossaque subius humo, corpus Christi ab ima parte surripuisse; qua arte facile fuerit, custodes fallere. Sed & hoc ipsum, brevi Viri summi observatione refellitur: qua constat, Christi Sepulcrum in rupe fuisse incisum; aut potius fuisse rupem ipsam ferro excavatam; adeo ut per subterraneos meatus penetrare illuc, res fuerit immenso operis, atque temporis. Quamquam etsi daremus, satis otii, atque audaciae Apotolis fuisse, ut per durum silicem tam longos agere cuniculos possent; manifesta tamen in suffossa rupe extitissent furti indicia, quae nulla arte, vel humo ingesta, vel infans lapidibus, ac camentis celari ab Apotolis potuissent. Atque adeo Judaeorum principes, ad patefaciendam fraudem, resossa scrobe, Discipulorum cuniculos retexitissent; neque absurdam illam suam de custodibus sopore correptis calumniam evulgassent.

Ee 2

Quid